



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 3. Quos post gravia crimina sola voluntatis pertinacia vel ignavia impedit à satisfactione, non ita sunt tractandi ut aegrivel moribundi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

bio vera est, sicut vera est illa Tridentini:
 quam proindè immeritò Appendix dicen-
 do, *contra*, videri vult reprehendere; non
 enim illi contrarium est quod subjungit:
 sed cum aliquibus sic agere expedit: fieri
 id potest uti E. G. nonnunquam cum
 ægris aut moribundis, quibus ut mandat
 S. Pontifex Leo, *nec satisfactio interdicenda* *Epist. 91.*
est, nec reconciliatio deneganda, quanquam
 & ipsis plerumque adhuc alia imponi po-
 test, nempè ægritudinis & cruciatuura
 molestiarumquè inde provenientium su-
 stinentia, imo & ipsa mortis, si contin-
 gat, perpeffio.

§. III.

*Quos post gravia crimina sola voluntatis pertina-
 cia vel ignavia impedit à satisfactioe, non ita
 sunt tractandi ut ægri vel moribundi.*

AN verò cum iis id expediat, qui
 sani sunt & quos gravium pecca-
 torum reos à pleniori satisfactioe non
 impedit, nisi propria voluntas aut men-
 tis ignavia, non facilè dixerim. Vult
 enim Deus sibi satisfieri, vult peccatores
 post Baptismum lapsos non modicos
 poenitentiae labores subire: *Convertimini, Ioël cap. 2.*
 inquit, *ad me in toto corde vestro, in jejunio &*

in fletu & in planctu; Propter quod verā pœnitentia sic donandis peccatis Dei implorat misericordiam, ut tamen dignis operibus, ejus non detrectet satisfacere justitiæ.

S. Greg. in Ps. 4. pœn. Scio, inquit, quem invocem, justum invoco, qui & peccata odio habet & ista impunita non dimittit: sicut ejus misericordiam expeto, ita etiam justitiam ipsius attendo. Non sic postulo misericordiam accipere, ut velim ab eo justitiam auferre. Nolo ut peccatum meum remaneat impunitum; sic misericordia est, ut peccanti ignoscat, sic justitia est, ut peccatum impunitum non transeat. Non hæc ejus vox est, qui peccatorum suorum non nisi cogitat impunitatem, ac sibi multipliciter reo aliud non patitur quàm quinque Pater & Ave imponi. Hujusmodi verè pœnitere non facile affirmavero. Certè S. Cyrillus Alexandrinus inter eos qui per Dei gratiam liberi facti sunt, numerandos negat istos, qui cum assiduè peccent, non tamen peccati maculas abluunt, neque, ut ita dicam, pretio dato crimina possunt depellere, quod mentis infirmitate sudores pœnitentiæ perferre & Deum ejusmodi laboribus placare nolint.

L. 8. de odo.